



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**R. P. Martini De Esparza Artieda, Navarri, Theologi Societ.  
Iesv, Cvrsvs Theologicvs**

in decem Libros, & duos Tomos distributus, Ivxta Methodvm, Qva In  
Scholis Societatis Iesv communiter traditur annis quaternis

Continens Secvndam Secvndæ, & Tertiam Partem D. Thomæ

**Esparza Arteida, Martin de**  
**Lugduni, 1666**

XI. Vtrum fuerit conueniens institutio sacramentorum?

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94839](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94839)

prehensiuus omnium rerum, & voluntas eius intentione omnium bonorum, quidquid similitudinis, congruentia, & qualiscunque relationis respectu gratia, conferens ad instructionem, & ædificationem hominum, legitima ratione deprehensum fuerit in signo eiusdem gratia electo à Deo, id totum obseruatum, & intentum ab eo fuisse merito creditur, & pie, ac utiliter consideratur. Quod non ita contingeret, ob rationem contrariam, in signo electo per creaturam. Quæ itidem causa est, cur sacri Interpretes in tam multiplicem sensum verba sacrae scripturae utilissime diffundant; secus ac fiat circa verba Conciliorum, quibus ita inspirantur sententiæ ab Spiritu sancto, ut determinatio verborum, & circumstantiarum humanæ electioni permittatur. Superest igitur temporalis reuelatio voluntatis diuinæ, & ministerialis institutio, quæ humanæ operationi committeretur, sed maximè Christi Domini, ut hominis, cuius videlicet humanitas est instrumentum coniunctum Diuinitatis respectu operum, quibus Diuina providentia salutem humanæ subuenit, dum cæteri homines sint instrumenta instrumenti coniuncti, sicut ferra respectu manus.

Ad 1. Ex illo testimonio solum deducitur ministerialis causalitas, eaque non nisi mediata, ut indicat illa particula, *in persona Christi*. Nec verum vniuersaliter est Ministerium, & Vicarium posse omnia, quæ potest principalis; Ea enim tantummodò potest, pro quibus substituitur. Nec Deus, cuius potentia est essentialiter infinita, potest cuiquam committere omnia, quæ per se immediatè potest; cum sint aliqua, quæ immediatè causam infinitam essentialiter postulant; atque huiusmodi est collatio gratia.

Ad 2. Non omnia, quæ diuinitus instituta, vel acta sunt, traduntur in scriptura, sed de pluribus constat per traditionem Ecclesiæ, & rationem Theologicam. Ille porro auctorum opiniones, iam diu exultant à scholis omnibus, nec possunt amplius tolerari, ut sonant, dicente Tridentino sess. 7. can. 10. *Si quis dixerit sacramenta noue legis non fuisse omnia à Iesu Christo Domino nostro instituta, anathema sit: & sess. 21. cap. 2. Perpetuò in Ecclesia fuisse auctoritatem circa sacramenta, salua eorum substantia* Inquam verò, ut sonant; quia confundunt, ut credo, illi auctores institutionem sacramenti, cum institutione ceremoniarum accidentalium adiacentium sacramento; & institutionem per auctoritatem, cum ministerio institutionis; ideoque solis vocibus dissident à cæteris.

Ad 3. Rebus inanimatis sola collata est causalitas instrumentalis in gratiam. Ratio autem causæ instrumentalis, & ratio ministerij, quæ concessa similiter est puris hominibus, ad idem genus reducuntur, quatenus Minister est instrumentum animatum, & instrumentum est Minister inanimatus ex 5. Ethic. c. 2.

Ad 4. Obligationem moralem propriè dictam, & distinctam à necessitate metaphysica, nulla sua, aut alterius voluntate contrahere Deus villo pacto potest, ut dictum est in quæst. 19. de Iustitia à *Neque verò*. Necessitatem autem metaphysicam aliquid faciendi, siue absolutam, siue conditionatam, vel potius quasi conditionatam sola sua voluntate imponere sibi potest; cum dominium eius physicum, & morale sit essentialiter supremum, ac vniuersale. Atque, quoad hæc, paritas ex domino temporali, & eius seruo; est nulla, ut patet. Quare Deus solum potuit velle conferre gratiam dependentem à voluntate creata, tanquam ab opponente conditionem aliquam, verbi gratia, designationem materiæ, & formæ; quæ tamen ipsa designatio, & positio conditionis non pertinisset ad conceptum primarium, & principalem institutionis sacramentorum, ut dictum est. Sed

neque illud verum est, Deum de facto commisisse voluntati creatæ, quidquid absolutè committere illi potuit. Nec enim commisit, quæ conuenientius fuit, ut non committeret. Ostensum verò est conuenientius fuisse, ne committeret designationem materiæ, & formæ. Iam Augustinus dum ex posse, & nolle infert inuidiam, loquitur de posse secundum optimum, & congruentissimum modum operandi; ut nihil dicam amplius in præsentia. Videatur, si placet quæstio 28. de Deo.

Ad 5. Solum quatenus Deus, potuit Christus Dominus esse causa principalis conferens gratiam, & dimittens peccata, ut patet ex dictis. Quare quod dicitur Filium hominis habere potestatem dimittendi peccata, accipiendum est in sensu materiali secundum communicationem idiomatufi, ratione cuius, quæ sunt Dei attribuuntur homini Christo; & e converso; atque Magdalena expressit exterius, ut homo, quod contulit interius, ut Deus, vel utrobique intelligenda est potestas, & actio ministerialis, qualis conceditur etiam in institutione sacramentorum.

Ad 6. Christo patienti adscribitur in illis locis institutio, & existentia sacramentorum tanquam causæ meritoria, non verò tanquam causæ principali immediatè efficienti, & conferenti vim, ac robur per auctoritatem. Deinde non quidquid conuenit Christo, ut homini, est communicabile puro homini: quia Humanitas Christi ratione vniuersi ad Verbum obtingit multiplicem excellentiam, tum in rebus aliis, tum in materia sacramentorum, minimè communicabilem puro homini. Quæ de causa cum à D. Thoma, & communiter Deus dicatur causa institutionis sacramentorum per auctoritatem, Christus dicitur causa eiusdem per excellentiam; cæteri verò Dei, & Christi Ministri, dicuntur causæ puræ ministeriales separatae.

## Q V Æ S T I O X I.

### Utrum fuerit conueniens institutio Sacramentorum?

Videtur non fuisse. 1. Ex natura rei in genere. Quia per institutionem sacramentorum applicatur mens hominis rebus sensibilibus, & exercitationi corporali, quibus illa constant. Non est autem conueniens, mentem hominis applicari, & deprimi ad res sensibiles, & corporali exercitatione diuersti, sed potius euehi ad spiritualia, & intelligibiliter exerceri, iuxta illud Ioan. 4. 21. *Spiritus est Deus, & eos, qui adorant eum, in spiritu, & veritate oportet adorare: & illud Apostoli 1. ad Tim. 4. 8. Corporalis exercitatio ad modicum utilis est: id est merito contemnitur*. Eodem pertinet sententia illa Augustini lib. 2. de liber. arbitr. 19. *Res sensibiles sunt minima bona, siue quibus homo rectè viuere potest*. Ea autem sine quibus homo rectè viuere potest, nullam habent conuenientiam spiritualem, nec eis debet animus hominis applicari.

2. Ex determinatione materiæ, & formæ. Cum enim omnia sensibilia, eo sine facta sint, ut ducant in cognitionem, & amorem rerum spiritualium, iuxta illud ad Rom. 1. 20. *Inuisibilia enim ipsius à creatura mundi per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur*; non fuit conueniens, ut significatio, & representatio gratia, aliorumque donorum spiritualium, & excitatio mentis, respectu considerationis eorum, restringeretur ad numerum determinatum paucarum rerum, & verborum; sed debuerunt promiscuè quibusuis rebus, & verbis inesse pro libito cuiusque; sicut colligitur ex Genes. 28. à versu 18. contigisse in statu legis naturæ, quo est longè perfectior status legis

legis gratiæ, ideòque restrictior esse non debuit. Et præterea cum vnaquæque res, quo præstantior est, eo debeat nobiliori signo, & imagine representari, atque gratia sit res nobilissima; non debuit eius significatio adiungi obuiis, & vilissimis rebus, vt sunt aqua, panis, & verba. Constat enim, quia res sensibiles præstantissima maiorem habent similitudinem, & symbolizationem cum præstantissima forma gratiæ. Ergò eiusmodi potissimum allumi debuissent ad sacramentalem, id est symbolicam gratiæ significationem.

3. A posteriori. Non sunt conuenienter instituta, quæ mutari oportet; Sacramenta autem oportuit sæpè mutare; alia siquidem fuere pro tempore legis naturæ, & pro tempore legis scriptæ; & rursus alia ante, & post Christi aduentum. Ergò sacramenta non sunt conuenienter instituta saltem omnia.

4. A sufficienti partium enumeratione quo ad status naturæ. Certum namque primò est, pro statu puræ naturæ nulla futura fuisse sacramenta, aut vestigia sacramentorum; cum istorum institutio sit intrinsecè supernaturalis. Nulla similiter fuisse pro statu innocentia, nullaque futura fuisse eodem statu diutius durante, sententia est D. Thomæ, & communis, & meritò, quidquid renitatur Suarez, & ex parte Valquez. Quia sacramenta sunt quædam medicina spiritalis, quibus non indiget natura nondum patiens vllam ægritudinem, nec vllò vulnere sauciata, iuxta illud Matth. 9. 12. *Non est opus valentibus Medicus.* Sed neque post peccatum ante Christi aduentum aliqua debuerunt esse sacramenta; quia omnia pendunt à passione Christi tanquam à causa, vt dictum est in quæst. præcedenti. Effectus autem nequit existere antequam existat causa. Deinde, qui vtebantur sacramentis veteris legis, erant sub elementis mundi feruentes; iisque infirmis, & egenis, vt apparet ex 4. ad Galat. 3. & 9. Non est autem conueniens, hominem subesse feruituti elementorum mundi infirmorum, & egenorum. Denique post Christi aduentum sacramenta retineri nulla debuerunt. Quia veniente veritate debet cessare eius figura; vt pote, quæ iam superfluit. Sacramenta autem sunt quædam signa, seu figuræ gratiæ, & veritatis; atque gratia, & veritas per Iesum Christum facta est, qui venit plenus gratia, & veritate, vt habetur ex 1. Ioan. 14. & 27. Pro nullo igitur statu fuit conueniens sacramentorum institutio.

Art. 1. Respondetur. Principalis auctor institutionis sacramentorum est solus Deus, vt dictum est quæst. præcedenti. Quicquid autem diuinitus institutum est, conuenientissimum est; cum voluntas Dei sit regula totius conuenientia; neque quidquam facere Deus possit, quod non sit valdè bonum, ac proinde valdè summèque conueniens, iuxta dicta quæst. 28. de Deo. Elucet verò hoc, vel maximè in modo, quo Diuina prouidentia iuuat hominem per sensibilia ad cognitionem, & amorem intelligibilem. Cum enim homo ex sua natura hoc habeat, vt non possit quidquam cognoscere, nisi dependenter à sensibus; adeòque nisi mediantibus rebus corporalibus; nec magis possit ad suum finem, qui est summè spiritualis, peruenire, nisi eleuando se supra sensus, & sensibilia ad considerationem, & amorem rerum spiritualium; conuenientissimè vtique prouidit Deus homini iuxta eius conditionem de tanta sensibilibus copia talis naturæ, & cum tali inuicem ordine, vt peridoneè perducere eum valerent ad intelligentiam, & quasi conspectum honorum inuisibilem, vt apparet ex verbis Apostoli nuper indicatis in Epistola ad Romanos.

Art. 2. Quia verò homo in statu puræ naturæ debuisset tendere ad Deum præcisè vt auctorem, finemque purè naturalem, & ad reliqua bona spiritalia purè itidem naturalia; atque ad horum intelli-

gentiam, & prosecutionem ordinatur ex sua natura, & sufficit totus iste mundus visibilis, præcisè, vt est in se intrinsecè, & connaturaliter propterea nullis pro eo statu sacramentis, seu signis sensibilibus extrinsecè eleuatis indiguisset. Immo nec eis percipiendis fuisset idoneus; vt potè nullo præditus supernaturali intelligentiæ lumine. Itaque pro eo statu fuissent loco sacramentorum omnes, & singulæ res sensibiles instruentes scilicet, ac perducetes ad finem naturalem eo prioris modo, quo hominem supernaturaliter eleuatum, ac illustratum instruunt, & perducunt ad finem supernaturalem sacramenta, seu obiecta sensibilia supernaturaliter significantia.

Art. 3. Verum neque in statu eleuationis ante peccatum vlla fuit necessitas aut conuenientia sacramentorum. Ita enim homo creatus est reclusus, vt parti superiori obedirent absque resistentia vires omnes partis inferioris, sensusque perfectè subessent imperio despotico rationis. Quia verò nullum obiectum sensibile potest aliquod præiudicium creare aduerses deliberationem, & electionem rationis, nisi per impressionem, ac motionem factam in potentiis sensitivis; consequenter omnia sensibilia vsibus honestis etiam supernaturalibus spontè patebant pro eo statu, erantque sufficienter eleuata indirectè in finem supernaturalem per internam mentis vsque adedò dominatricis directam eleuationem, ac illustrationem supernaturalem. Nullis igitur signis sensibilibus supernaturali institutione eleuatis opus fuit pro statu innocentia; nec opus fuisset eodem diutius durante, & perseverante in posteris Adæ; ac proinde non fuit, aut fuisset conueniens, vt aliqua pro eo statu sacramenta instituerentur. Quapropter, cum Deus ea sola subsidia pro vnoquoque statu de facto præstiterit hominibus, quæ eidem statui conueniunt, & maximè congruunt; non solum nulla sacramenta de facto instituit pro statu innocentia, sed nec instituisse eodem diutius perseverante. Constat nimirum ex dictis q. 15. de Incarnat. & alibi, euentus huiusmodi conditionatos, licet pendentes à sola libera Dei electione, habere determinatam veritatem ex vi decreti liberi diuini absolute existentis, contra quam sentit Valquez in præfati controuersia.

Art. 4. Ob rationem contrariam oportuit, vt instituerentur sacramenta pro statu naturæ lapsæ, simulque eleuata. Rebellarunt nimirum vires sensitivæ animi aduersus rationem propter peccatum, & cepit corpus, quod corripitur aggrauare animam (leuem ex se, vt sursum ad spiritalia feratur; ) & *terrena inhabitatio deprimeret* (ad terrena, & sensibilia, vt in eis tanquam in centro, & sine subsidio) *Sensum multa cogitantem*, vt dicitur Sap. 9. 15. Vnde Apostolus exclamât 7. ad Rom. 23. *Sentio aliam legem in membris meis* (impressionem vtique rerum sensibilibus tyrannicè vexatis) *repugnantem legi mentis meæ, & captiuam me in lege peccati.* Tanto igitur sensibile prædominio post peccatum, & tantæ, versus illa, declinationi hominis lapsi, opportunum admodum remedium fuit, vt opponeretur aliquod sensibile spiritualizatum, cuius occursum ita roboraretur pars animæ superior aduersus assultus reliquorum sensibilibus, vt mentali illius consideratione manu ducenti ad æternam, & corporalem, circa idem, occupationem honestam, declinare suauius posset; tum otium, tum cogitationes de iisdem sensibilibus, quatenus caducitati obnoxii, ac inde inutiliter, nocenterque detinentes; tum occupationes, circa alia exteriora, allicientes sola utilitate, aut delectatione nihil conferenti ad vltimum finem, sed potius illum impediendi. Eiusmodi autem sensibile sacramentum, vt liquet ex quæst. 1. ac deinceps. Oportuit igitur superaddere

rebus sensibilibus, saltem aliquibus institutionem sacramentalem pro statu naturæ lapsæ.

Art. 5. Accedit, ruinam humani generis processisse ex obiecto sensibili tenuis ex se allicientiæ, sed cui potentissimam attrahendi vim adiecerat promissio diabolica apertionis oculorum, participationis diuinitatis, & scientiæ boni, & mali, vt habetur Genes. 3. 5. *Igitur, ars, vt artem falleret, & medelam ferret inde, hostis vnde laferat*, prout canit Ecclesia; oportuit reparationem humani generis fieri per obiecta itidem sensibilia, vt cunq̄ue ex se vilia, ac inefficacia, quibus tamen vis ingens, & efficacia infallibilis accresceret ex diuinis promissionibus gratiæ, & visionis beatæ, quarum altera est participatio diuinæ naturæ, altera est plenitudo scientiæ. Alioquin enim maior fuisset astutia decipientis, ac perentis nequitia, quam sapientia instruētis, ac reparantis bonitas. Adhibuisset namque medium magis accommodatum conditioni, & inclinationi subiecti, nempe hominis sensibilibus addicti, simulque ordinati ad similitudinem cum Deo, cuius est imago; similitudinem verò maximè quoad scientiam, quæ est omnium diuinissimam, & cuius est insatiabilis appetitus in homine.

Art. 6. Accedit rursus, peccatum originale, vi cuius sensualitas præualet supra rationem destitutam gratia, vt dictum est quæst. 9. & 12. de gr. derivari ex Adamo in posteros per actionem corporalem humanæ propagationis. Ergo gratia, vi cuius ratio præualet supra sensualitatem, & restituitur (licet modo, & gradu longè imperfectiori, quam pro statu innocentia) in primæuum prædominium, debuit derivari ex Christo secundo Adamo in filios adoptionis eius, per corporalem similiter actionem diuinæ regenerationis, augmentationis, & conseruationis, quæ sit per sacramenta. Vt nimirum id, & inde reponat reparatio, & operatio diuina, quod, & vnde aufert interitus, & operatio humana. Ob hæc igitur pro statu naturæ lapsæ, siquidem erigenda, ac reparanda erat, conueniens fuit sacramentorum institutio, ratione cuius res sensibiles in sacramentum assumptæ eandem maxima bona, & vis, quam habent ex sua natura ad mentem deprimendam conuertitur in vim eleuandi eandem; & corporalis in eis exercitatio redditur summè utilis, tamen ex se æstimabilis non sit, vt patet ex dictis. Et apparet præterea ex verbis Concil. Trident. sess. 22. cap. 5. vbi occasione sacrorum Missæ rituum declarat sic: *Cumque natura hominum ea sit, vt* **non** *facile queat sine adminiculis exterioribus ad rerum diuinarum meditationem sustolli propterea, &c.*

Art. 7. Idem confirmari luculenter potest ex frequenti doctrina Dion. præsertim cap. 2. de Cœlest. Hier. vbi inter alia paulò post principium dicit de natura nostra: *Eget accommodatis sibi, & cognatis adminiculis, que formas rerum, que formis carent, quas consequi possimus, nobis proponant.* Istud ipsum documentum suggerit sæpe in lib. de Eccles. Hier. vbi cap. 1. inter princ. & med. sic habet: *Nos autem exemplis, imaginibusque sensum mouentibus ad diuinas contemplationes, vt possimus, transferimur.* Et rursus propè eadem. *Hierarchia nostra pro modo nostro signis continetur, cum egeat rebus, que sensus mouent ad diuiniorem nostri, ex ipsis, ad eas, que mente comprehenduntur, reuocationem.* Eodem pertinet, quod Augustinus in alium, sed assuem scopum supponit cap. 9. de carechiz. rud. nempe plurimum valere enigmatum latebras ad amorem veritatis acendum, discernendumque fastidij corporem; inductum vtiq̄ue per peccatum, per quod etiam hebetatus est ille amor. Obsequitur Dionysio, & Augustino adiuncta optima ratione D. Thomas 2. 2. quæst. 49. art. 1. ad 2. *Ideo autem necessaria est huiusmodi similitudinum, vel imaginum adiuentio: quia intentiones simplices, & spirituales facilius ex animo elabuntur, nisi*

*quibusdam similitudinibus corporalibus quasi alligentur. Quia humana cognitio potentior est circa sensibilia.* Eiusmodi autem alligatio facta est efficacissimè per institutionem sacramentalem, quæ videlicet ex lucro sollicitum, & efficacius affectum reddit hominem circa eiusmodi signa sensibilia. Quam in rem audiendus est iterum ibidem D. Thomas dicens: *Tertio oportet, et homo sollicitudinem apponat, & affectum adhibeat ad ea, que vult memorari. Quia quanto aliquid magis fuerit impressum in animo, tanto minus elabitur.* Cum igitur significatio practica sacramentorum vim istam imprimendi adiciat quam maximam; patet institutionem eorum fuisse conuenientissimam pro statu naturæ lapsæ, ideoque difficillimæ, quæ ad spiritualia sollicitè, constanter, & effectuosè erigatur.

Art. 8. Conueniens porò præterea fuit, vt non perseuerarent semper eadem sacramenta, sed instituerentur longè inter se diuersa, maiori cum perfectione, & minori numero posteriorum, quam priorum, idque per trinam vicissitudinis seriem, iuxta triplicem mutationem notabilium, & quoad mores hominum, & propinquitatem eorum ad Christum pro triplici magno temporis interuallo; Ab Adamo ad Moysen, à Moysè ad Christum, à Christo ad finem vsque mundi, vbi de factò diuina prouidentia disposuit. Tempus vsque ad Moysen legis naturæ: inde vsque ad Christum legis scriptæ, Mosæicæ, antiq̄ue; post Christum legis gratiæ, nouæ, Euangelicæ, Christianæ.

Art. 9. Tempore legis naturæ sub initia, mores hominum non vsque adde deficiere à probitate, & felici conditione proximi status innocentia non indigentis vllò sacramento, vt dictum est; nec peccatum originale protinus vno velut impetu totum suum virus in operationes posteriorum transfudit, ac propterea homines dirigi pro tunc sufficienter potuerunt per solas paternas traditiones, & interiorem instinctum diuinum, quibus consonum fuit, vt remedium originale positum esset tunc in actibus internis, præsertim fidei, quos exterius protestarentur per res, & actiones, quæ cuique magis ad id incommodatè viderentur, iuxta motionem interioris instinctus diuini. Quæ proinde res, & actiones eatenus præcisè significarent, & dicerentur inducere abolitionem peccati, & infusionem gratiæ, quatenus erant indicēs actuum internorum inducentium vtramque, & cum eisdem connectebantur, tanquam cum causis suis; nec alio sacramentorum genere opus fuit, cum diuina determinatione rerum præ aliis significantiorum, vel verborum, supra res additamento, vel cum maiori efficacia, seu connexione cum gratia.

Art. 10. Sed progressu temporis interfectio peccati originalis, & dissolutio concupiscentiæ ruentes gradatim in deterius, eam tandem inducere corruptionem morum, & inde mentis excitatam, vt opus fuerit abolitam ex cordibus legem in tabulis exprimere, & animos instinctui purè interno inidoneos instruere externis gratiæ signis, speciali ad eam referendam, aptitudine à Deo electa, præditis, illaque commendare manifestatoribus promissionibus de Christo venturo, & de gratia post eius aduentum vberimè conferenda per alia eiusmodi sensibilia signa, quæ simul forent causæ significatorum. Atque hic fuit secundus sacramentorum ordo pauciorum, & perfectiorum propter maiorem indignitatem generis humani iam non valentis vndelibet pro arbitrio indiscriminatim instrui, & indigentis efficaciori incitamento ad spem, & sollicitudinem donorum gratiæ, tum propter maiorem propinquitatem ad Christum, quem par erat maximè desiderantibus, & melius dispositis apparere.

Art. 11. Demum post aduentum Christi, & per Christum alia instituta sunt sacramenta virtute maioræ, vtilitate meliora, actu feliciora, numero pauciora vt dicit August.

August. lib. 19. contra Faust. c. 13. Quia videlicet sacramenta, tam antiqua, quam noua instituta sunt dependent à Christo, tanquam à causa eorum omnium meritoria, potente inducere præmium etiam pro tempore physice antecedenti ad existentiam ipsius, vt dictum est in quæstione 41. de Incarnation. non minus quam pro tempore sequenti. Cum hoc tamen discrimine, quod pars præmij suprema, & vltima in vnoquoque genere, & ad quam reliquæ partes præmij, vt ad finem ordinantur, non potest existere tempore antecedenti ad meritum, sed debet ad ipsum etiam physice consequi, vt ibidem notatum fuit. Ergo sacramenta nouæ legis existentia post Christi meritum, ad quæ ordinabantur anteriora sacramenta, debuerunt esse maiora, ac meliora. Deinde respectu institutionis sacramentorum nouæ legis exercuit Christus causalitatem præterea ministerialem, ac instrumentalem, vt superius dictum est. Effectus autem Ministri, & instrumenti nobilioris debet esse nobilior. Denique, vt dicebatur in superiori comparatione, malitia hominum fuit similiter longè maior sub finem temporis legis scriptæ, quam sub initium, ideoque oportuit apponi remedium maius institutis sacramentis præstantioribus.

Art. 12. Sunt autem præstantiora Euangelica, non solum quoad efficacitatem communicatiuam gratiæ de præsentis, & immediatè, sed etiam quoad significationem, & vim excitatiuam, instructiuam, ac illuminatiuam mentis humanæ; tum propter additamentum verborum, quæ tenent principatum in significando, tum propter delectum rerum habentium perfectissimam analogiam cum gratia sacramentali, vt innotescet in expositione singulorum sacramentorum. Hoc vnum modò notandum est illis omnibus commune, materias eorum, & formas significare perfectionem, & excellentiam gratiæ sanctificantis, non secundum se, & in abstracto, sed relatiuè ad subiectum, cui confertur sacramentum, & secundum munus, quod exercet circa ipsum dependentem ab vnoquoque sacramento; idque iuxta captum omnium vbique hominum; siquidem omnibus indiscriminatim consultum est sacramentorum institutione. Eiusmodi autem res, & voces, patet necessario esse viles, & notas idiotis etiam, & vtilibus humanis circa curam corporis accommodatas; nec nisi paucas esse posse, quæ cum tanta vilitate simul habeant præstantissimam symbolicam proportionem cum effectibus formalibus circa animam.

Art. 13. Constat igitur, conuenientissimum fuisse; vt instituerentur sacramenta pro statu naturæ lapsæ, vt alia aliis succederent, iuxta diuersam hominum conditionem contingentem pro diuersis temporibus; sicut alia, & alia opera præscribuntur hyeme, & æstate cum laude vtrorumque; vt posteriora essent prioribus semper præstantiora; præstantissima verò post Christum, eaque ipsa de causa pauciora, & vtilibus, ac vbique obuiis rebus deuineta. Atque per hæc simul cum cæteris, quæ præmissa sunt, satis patet ad obiectiones, quidque in illis concedendum sit, quid negandum, quid distinguendum.

QVÆSTIO XII.

*Virum omnis, & solus viator sit idoneus minister Sacramentorum?*

Videtur nec omnis, nec solus esse idoneus. 1. Quia Angeli, & animæ separatae possunt exequi omnes actiones exequibiles ab homine viatore circa sacramentum. Possunt enim edere omnes ver-

borum sonos, quos homo viator; & materias eodem prorsus modo, ac ipse, applicare, & exhibere. Causa autem potens exequi omnes actiones quas potest exequi alia causa; potest proculdubio, & effectus exequi omnes, quos eadem potest. Ergo sacramenta possunt perficere Angeli, & animæ separatae non minus, quam possit homo viator.

2. Communiter recipitur, vt vera narratio Nicephori lib. 11. cap. 20. de Amphilochio ab Angelis consecrato Episcopo, reliquis Episcopis eam ordinationem habentibus ratam. Quod fieri non potuisset, si Angeli non essent idonei Ministri.

3. Ex Suarez: in testimoniis sacris, ex quibus constat de ministerio sacramentorum hominibus commisso non exigitur conditio viatoris, nec fit vlla eius mentio. Ergo homo beatus, non minus, quam viator in illis comprehenditur; siquidem vterque eandem intentione concipere, & easdem actiones eiusdem infimæ speciei efficere possunt. Extant præterea multa historiæ fide digna de huiusmodi ministerio beatorum. Ergo non solus viator est idoneus minister.

4. Homo rediuius, & inter mortales mortalis iterum constitutus est viator, sicut erat antequam moreretur; & nihilominus non est idoneus sacramentorum minister. Quod quidem videtur certum de iis sacramentis quorum administrandorum potestas est inseparabiliter coniuncta cum iurisdictione. Quia omnis humana iurisdictione expirat per mortem habentis illam, nec redit redeunte vita, vt fert communis, & certa scientia. De reliquis verò eadem videtur esse ratio, maxime cum potestas administrandi quoduis sacramentum, ad aliquod iurisdictionis genus, reducatur. Ergo non omnis viator est idoneus minister sacramentorum.

5. Multi præterea viatores excluduntur à ministerio sacramentorum; tum propter defectum physicum rationis, vt pueri, & amentes, quos certum est non posse sacramenta validè conficere; tum propter defectum moralem puritatis conscientiæ, quem patiuntur omnes peccatores, quos ab eo ministerio excludit illud Ecclesiast. 34. 4. *ab immundo quid mundabitur*: Mandat verò qui sacramentum ministrat, & peccator est immundus. Accedit neminem dare quod non habet; dant autem, qui sacramentum ministrant, gratiam, eandemque non habent peccatores.

Art. 1. Respondetur. Quandoquidem omnibus indiscriminatim substantiis rationalibus, & quibusuis seorsim, ac priuatiuè potuit absolute committere Deus sacramentorum administrationem; quibus potissimum de facto ea commissa sit ex vi præsentis institutionis, eruendum est ex testimoniis sacris, in quibus talis commissio continetur. Hæc autem testimonia ad solos homines diriguntur. Cum ipsis enim sermo erat, cum diceretur circa Eucharistiam: *hoc factum est in meam commemorationem*: circa baptismum: *docere omnes gentes baptizantes eos*: circa penitentiam: *quorum remisistis peccata*: circa extremam vntionem: *inducat presbyteros*: de ordine, & confirmatione est eadem Ecclesiæ traditio: de matrimonio res est clara, cum eius ministri sint ipsi contrahentes. Solis igitur hominibus delegata est per institutionem præsentem potestas perficiendi, ac ministrandi sacramenta. Eandem restringi ad solos viatores satis colligitur ex iisdem testimoniis, vt potè directis ad homines viatores, in quorum persona non possunt absque speciali mentione subintelligi, ac representari Beati, vt potè pertinentes ad rempublicam diuersam, & diuersæ conditionis, & sub diuersis institutis existentes, nec spectantes ad sensibilem nobiscum societatem, & mutuam communicationem, ad quam pertinent sacramenta.

Art. 2. Idem innuit, vt aduertit Cardinalis de Lugo, illud